




B. 209.

LIBRARY OF THE  
COLLEGE OF PHYSICIANS  
CARVON AD IVM SPECIMEN

CHRISTIANO FEDERICI  
MATTHIAE

CHRISTIANUS FEDERICUS MATTHIAE



NATVRA REPRAESENTATIONIS IN GENERE,  
INTVITIONEM, SENSATIONEM, CONCEPTVM, NO-  
TIONEM ET IDEAM COMPREHENDENTIS, NE  
EXPONI QVIDEM RECTE POTEST.

---

DISPV TATIO PHILOSOPHICA

Q V A M

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
PERMISSV

M. AVGVSTVS FRID. GVILIELMVS  
RVDOLPH

DIE XI. IVNII A. R. S. CLOCCCLXXXIV.

HORIS POMERIDIANIS

DEFENDET

P R A E S E S  
ASSVMTO SOCIO AMICISSIMO  
CHRISTIANO TRAVGOTT SIMMERS  
ANNABVRGO - SAXONE.

---

VITEBERGAE,  
LITERIS TZSCHIEDRICHII.

АНИИТИ СИ СИГАТИСЯ РЯЧЕЯ АЛГИА  
ДОГАУ ТИСА СИ ГОПА МИ ОБИГИ  
НА СИ СИ ГОПА МИ ОБИГИ  
ВЕДОВА СИГАТИСЯ РЯЧЕЯ

АНИИТИ СИ СИ ГОПА МИ ОБИГИ  
ДОГАУ ТИСА СИ ГОПА МИ ОБИГИ  
СИ ГОПА МИ ОБИГИ

АНИИТИ СИ СИ ГОПА МИ ОБИГИ

11 (11)

11 (11) 11 (11)

**Q**uanquam variae sunt et grauissimae rationes, non in rei ad tractandum propositae natura solum, verum in meo etiam cum ingenio tum statu externo sitae, quae a tractanda quaestione proposita me potuissent quam maxime deterrere: tamen easdem ob causas, ex alia parte consideratas, fieri non passus sum, ut a consilio meo reuocarer. Magnum *huius rei natura* obiicit impedimentum. Cum enim omnes philosophiae subtilioris quaestiones vel propter subtilitatem haud faciles sunt intellectu, ita ut a SENECA (Ep. 59) verissime dictum sit: *nulla est sine difficultate subtilitas;* tum in exponendam repraesentandi facultatis naturam id cadit quam maxime. Itaque vel propter rei difficultatem verendum mihi est, ne nouam eamque iustam querendi occasionem praebeam. Quoniam autem in magnis etiam conari pulcrum putatur; ego vero satius duco, profiteri quid sentiam et qua ratione intelligam, quid difficultatis remanserit, quid ne nesciam, quam impone alii iudiciis nondum certis: ad diiudicationem haec viris doctis publice proponere fidens malui, quam intra priuatos parietes, dubius, cum fiduciae simulatione docere. Timidiorem etiam me reddit opinio, quam de viribus meis foueo. Fieri enim non potest, quin diffidam ingenio, cum contra nonnullas res, de quarum veritate mihi quam certissime persuasum esse videbatur, dubia suborta sunt, non facilissimo negotio, ut mihi videtur, remouenda; id quod hac ipsa in re, de qua disputau, mihi accidisse libenter confiteor. At ipsa meae senten-

sententiae expositio hoc certe mihi afferet commodi, ut ad accirarium mei cognitionem, certiore inque scientiam perueniam. Tertium restat impedimentum, quod mihi, hanc rem exposituro, pietas obiicere videbatur. Disputationem nimurum dubitauit proponere, quae a REINHOLDI V. Excell. praceptoris pie colendi, placitis dissentiat, atque adeo aliquam refutationis speciem sit habitura. Sed vereor, ut pietas, quae dubia in rebus philosophicis proponere vetet, et in verba magistrorum vel maximi iurare iubeat, vlla ratione sit probanda. Nam, ut alia taceam argumenta, non video, quomodo a dubitationibus, quas neque ipsi proposuimus, neque alii occupauerunt, possimus liberari. Rebus ita comparatis, spero fore, ut periculum, in quo demonstrare conatus sumus: *Naturam representationis in genere, intuitionem, sensationem, conceptum, notionem, ideam denique complectentis, ne exponi quidem recte posse*, certe aliquid excusationis sit habiturum. <sup>a)</sup>

Quamquam autem haec enuntiatio tam videtur perspicua, ut explicatione non egeat, et tam definita, ut arctioribus limitibus non sit opus; tamen, ne quid ambiguitatis, ex varia loquendi consuetudine ortae, remaneat, nonnulla ad mentem meam accuratius aperiendam afferenda censeo. *Representationis* nomen, ex recentiorum sermonis vsu, esse vocem generis, satis notum est. Sed anceps vocis *intuition* (*Anschauung*) vsus difficultatis in causa est. Sunt enim vel ex recensim philosophis, qui id, quod alii *conceptum singularem* seu *individui* appellant, b) hac voce indicare non dubitent. In his KIESEWETTERVS c) V. Cl. qui propterea etiam *conceptus singulares* plane reicit

et

a) Confusio intuitionis cum conceptu singulari, harum dubitationum in causa fuit. Postea in KIESEWETTERI *Logica* p. 245. inueni KANTII enuntiationem „*Vorstellen (repräsentieren)* kann nicht weiter erklärt werden.“ In eadem sententia fuit etiam b. CRYSIS, vid. Ej. *Entwurf der nothw. Veranftr. wahrh.* Leipzig. 1745. §. 426. pag. 826.

b) vid. BAVMGARTENII *Acroaf. log.* c. I. Sect. I. §. 51.

c) cf. Ej. *Grundriss der r: allg. Logik*, §. 10sq. et explicationem p. 23sq. Alios liceat tacere.

et negat. d) Sed vereor, vt eiusmodi nominum mutationibus quicquam praeter confusionein oriatur. Ego vero hac voce potius eam nominandam censeo repraefentationis speciem, quam KANTIVS intuitionem appellasse videtur. Quamquam enim in eius scriptis non defunt loca, vbi *intuitionem pro conceptu singulari* positam esse facile quis putare possit; e) tamen multa inueniuntur etiam, vbi haec systemati viri minus apta huius vocis significatio, admitti nullo modo potest; f) vnde prioris generis loca ex aptioribus sunt explicanda. KANTIVS autem eam repraefentationis formam, *intuitionis* nomine vocasse videtur, quae materiam conceptibus suppeditat; quae menti offert varia, aut extensa, aut successiva, quibuscum nondum ullus conceptus coniunctus est; de quibus, nisi animum aduterimus, ne loqui quidem recte possumus. Exemplum *nudae* et a conceptu separatae intuitionis afferre non possum, quia hoc sine conceptu ne fieri quidem potest; mentis vero conditionem in intuitionibus eam esse putaerim, vbi, saluis sensuum instrumentis, neque in somno reimisis, aut *nihil cogitamus*, aut, mente ab aliis rebus praesentibus auocata, in unam rem solam attentionem conuerfimus. Id enim, quod de his rebus praesentibus et nos afficien-tibus in mente, ita comparata, latet, *notae* nimirum, quarum aut nulla, aut admodum obscura adest conscientia, *intuitionem* appello; g) neque haec a KANTII mente recedere vel propterea putaerim, quoniam sensualitati actionem (*functionem*) abjudicat. *Qua igitur in re intuitio diuersa est a conceptu singulari?* Ut alia discrimina silentio praeteream, in eo etiam, nisi fallor, cernitur haud parua diuersitas, *quod in conceptu*

A 3

*singu-*

d) Log. §. 21. et pag. 33.

e) cf. *Kritik der reinen Vernunft*, pag. 376 sq. et p. 92 sq. Es giebt außer der Anschauung keine Art zu erkennen.f) vid. omnia loca, vbi decetur, ad cognitionem (*Erkenntniß*) requiri: *intuitionem et conceptum*. *Vorrede zur Kritik der r. Vern.* edit. sec. pag. XVII. *Kritik* pag. 74 sq. 125. 165 sq. §. 27, p. 146 sq. et ea, in quibus sensualitati sola passio, non actio, tribuitur, pag. 74 rel.

g) non reiicio intuitions internas, et intuitions a priori, sed intuitions externas empiricas elegi, vt mentem facilias et breuius explicare possem.

*singulari, praeter intuitionem, variis etiam sunt conceptus communes, unde  
cunque orti.* Si hunc Caium, quem aut praesentem video, aut olim  
vidi, aut cuius notas qualescumque ex descriptione aut imagine collegi,  
mihi repraesento: *conceptus milii est singularis;* quam vero *huius Caii*  
*repraesentationem (cuius obiectum Caius est), intuitionem nudam nominare*  
*non possum, reperiuntur enim in ea, praeter vultum et omnem homini-  
nis speciem, etiam categoriae, unum, reale, substantia, existentia (τὸ εἶσε).*  
Iam vero *intuition potest a conceptu singulari abesse;* ita Sylvestris, Prae-  
xaspis ceterorumque hominum veterum, quorum non vidimus imagi-  
nes, conceptum singularem, sed *intuitione carentem* habemus. Sed ne  
quis in *nominibus propriis* haeret, afferam ipsum *odeum Berolinense,*  
quod KIESEWETTERVS in medium protulit. Repraesentatio autem  
odei Berolinensis, cuius KIESEWETTERVS meminit, pag. 24. ad §. 10  
et 11. Logices, haud dubie est *conceptus singularis*, quem omnes le-  
ctores ibi inuenient indicatum, cuiusque sienit participes. Intuitione  
vero *odei Berolinensis* nemo potest gloriari, nisi qui aut exstructum  
praesens viderit, aut ex imagine, aut alia ratione cognoverit. Ex his  
satis appetat, conceptus singulares cum intuitionibus non esse confundendos. Si igitur intuitionem eam dicunt esse repraesentationem, quae  
*objec̄tum immediate repraesentet;* per quam *objec̄tum* menti detur; id  
non reduplicatiue sumendum est: *quae objec̄tum ut objec̄tum repraesen-  
tet;* per quam *reni aliquam objec̄tum esse sciamus;* sed potius ita debet  
intelligi: *repraesentatio, quae id exhibet;* quod, si cogitauerimus, et ali-  
quid, et *objec̄tum nominare solemus.* Sed de his haec tenus.<sup>b)</sup> Iam vero  
ita constituto intuitionis conceptu, suminam probationis dogmatis  
propositi, quo tota disputatio facilius posset intelligi, praemitten-  
dam putau.

Redit vero ad haec: *Si veram volumus exhibere generis cuiusdam  
aut definitionem, aut expositionem, necesse est, ut notae generis intentiae  
in omnes formas (quas species vocare solemus) cadant.* Iam vero, si  
casum

b) non est cur dicam quid sit exponere vid. KANT. *Kritik der r. Vern.*  
pag. 755 fqq. REINHOLD. *Theorie des menschl. V. Verm.* p. 227 sq.

casum et fortunam excludamus, quibus hac in re, propter temeritatem, plane nihil potest effici, non nisi duplice ratione efficere possumus, ut generis notae etiam in formis inueniantur; *aut enim generis conceptum e formis, aut formas e genere definire et determinare debemus;* ita ut aut in generis conceptum nullas recipiamus notas, quae non omnibus formis sunt communes, aut nulla obiecta, in quibus generis notae desiderantur, formas alicuius generis putemus. *Quod quidem utrumque, cum in representatione in genere, eo; quo supra feci, modo definita, fieri non possit:* sequitur, vt, si vel forte fortuna coniectura nostra in conuenientiam inter genus et species inciderit, a nobis certe non possit demonstrari, hanc conuenientiam vere adesse, notasque generis, qualicunque ratione inuentas, in formis etiam reperiri. Ad hanc rem igitur regula: *quicquid de genere valet, valet etiam de specie,* recte, et *sine petitione principii* accommodari non potest. Quia autem nemo notarum fortuito inuentarum, et nullis argumentis probandarum, narrationem, *iustam* expositionem vocabit: satis id, quod proposui, demonstratum esse videtur.

Omnis huius argumentationis probatio redit ad demonstrationem affirmationis: *utramque supra propositam, generis et formarum conuenientiae inueniendae rationem, in representatione in genere, eiusque formis supra enarratis, fieri non posse.* Deinceps de vtrisque videbimus. Primo igitur in eruendis notis, representationis in genere naturam constituentibus, non ita possumus versari, ut singularium formarum consideratione, id, quod harum inter se est commune, in generis conceptum colligamus. *Omnium* enim formatum contemplatione esset opus; *omnes* vero considerari non possunt. Nam intuitionem, quam antea dixi, quacum nondum coniunctus est conceptus, nemo potest considerare, eiusque notas, sine conceptuum ope, inuestigare et inuenire; nisi quis forte etiam *non cogitando* possit *cogitare.*

Neque altero modo conuenientiam inter genus et formas representationis efficere possumus. Hic enim modus est contra hypothesis. Posuimus enim: naturam representationis in genere, *omnes supra enumeratas*

*meratas formas complectentis*, recte exponi non posse; unde formae non *constituendae*, sed iam *constitutae* sunt. Quo minus vero intuitio-  
nem subsumere, et representationum formis annumerare possimus,  
idem, quod antea, nos impedit argumentum. Consideratione enim  
*omnium* formarum ne hac quidem in re supersedere possimus. Considerari autem sine conceptu non possunt, unde de huius natura iam ali-  
quid intuitionibus admiscetur.

„At vero, quamquam neque singularum formarum considera-  
tionē notas omnibus communes ex iis colligere, et ita generis con-  
conceptum hac in re formare, neque vero etiam, (ex hypothēsi) for-  
mas e genere constitutre possumus: tamen argumentationibus et ratio-  
nationibus facile compensatur id, quod nobis contemplatio non  
praefat.“ Vereor equidem, si tam expedite argumentemur, et ta-  
men concedamus, quod de rationis humanae usū regulatio, non *con-  
stitutio* dicitur,<sup>i)</sup> vt nobismetipsis satis consentiamus. Sed hoc ar-  
gumentum iam quidem vrgere nolui; alia potius ratione quaerere  
placuit:

*Vtrum in explicanda representationis omnino spectatae natura, con-  
stitutis iam per usum loquendi eius formis supra propositis, ita possimus  
versari, vt, quicquid argumentando et concludendo inuenierimus, id for-  
mis etiam, ante diligentem inquisitionem factis, sine adhibita cautione  
adiudicemus.* Omnino autem usus regulae: quicquid de genere valet,  
valet etiam de specie, praeter alias cautions, habet etiam hanc: Vi-  
dendum est, ne usus loquendi, vagis saepe et obscuris superstructus  
cognitionibus, nos fallat. Ante REINHOLDVM V. Exc. non tanto  
acumine naturam representationis in genere viri docti inuestigare  
studuerunt. Nominarunt igitur intuitus, notiones, ideas etc, vna voce,  
fortasse non satis apta, representationes. Philosophus vero, iam qui-  
dem Kiloniensis, mira subtilitate conceptum huncce accuratius exposuit,  
et quomodo mentis mutatio, representationis nomine digna, compara-  
ta

i) vid. REINH. *Theorie d. m. V. V.* p. 515 sqq. KANT. *Krit. d. r. V.* p. 536 sqq.

ta esse debeat, ostendit. Rebus vero ita comparatis, ex mea qualicunque sententia k) non statim adhibenda erat regula iam laudata, neque eae notae, quas generi tribuendas esse demonstratum erat, de singulis representationis formis, ab vsu loquendi, ante diligentem investigationem, confessis, erant praedicandae. In argumentationibus enim ad hoc ipsum necessarii, vt: *In omni representatione debet adesse obiectum, ab eoque data materia etc. iam vero conceptus, idea, intuitio est representatio, ideoque etiam in his haec adesse debent, minor propositio semper probanda est; sed vereor quam maxime, vt intuitionis subsumptionem illa ratione defendere possimus.* Saepius vsus loquendi satis ambiguus est; ita pictum hominem, quamquam ratione non est praeditus, tamen hominem simpliciter vocant. Ex his quidem nihil sequitur, quam in Reinholdiana expositione vnam fortasse desiderari probationem; sed in themate plura promisi, proptereaque rem altius repetere coactus sum; cuius rei veniam a lectoribus me facile impetraturum esse confido.

Primo igitur praemonere liceat: *Conscientiam representationis diversam esse a conscientia notarum, in quibus materia representationis certatur;* Hoc discrimen nondum satis obscuratum putauerim, id neglige certo scio; KIESEWETTERVS V. Cl. in Logica §. 31. scribit: *Die Qualität der Begriffe besteht in dem Grade des Bewußtseyns, das mit ihnen, oder den Merkmalen derselben verknüpft ist.* Distinguit quidem inter conscientiam mediatam atque immediatam,<sup>l)</sup> sed hoc discrimen solummodo in varium conscientiae gradum ponit, cum tamen in *variо cernatur obiecto,* Conscientiae enim representationis obiectum est tota representatio, conscientiae vero notarum obiecta sunt representa-

ta

k) Seruandum hic censui quod QVINCIL. dixit: *Modeste tamen et circunspecto iudicio de tantis viris pronunciandum est, ne, quod plerisque accidit, damnent, quae non intelligunt.* Inst. Orat. I, 1. 2. Evidem dico: de tanto viro.

l) vid. Eum. ad §. 32-34. Log. pag. 41 sq. Haud equidem scio, an non satis possit intelligi, quid fibi velit immediata et mediatara conscientia.

tationis notae. Haud scio, an non reperiatur, qui obiciat, hoc discrimen propterea esse vanum, quod conceptus ex ipsis notis sit compositus, ita ut is, qui *totius conscientia* gaudeat, simul notarum sibi conscientia esse debeat. Etiamsi enim totum (conceptus) ex partibus (notis) sit compositum: in ipso tamen toto, praeter singulas partes, etiam earum est *coniunctio* et *compositio*; quam, qui *singulas* partes sibi repraesentauit, non simul etiam mente comprehendit. Totius statuae formam videns et percipiens, non statim in eo est, ut singulas partes, earumque virtutes et vitia aut enumeret, aut enumerare poslit; et e contrario, qui in artificis officina membra statuae nondum composita deprehenderit, istorumque sibi quam diligentissimam comparauerit cognitionem, nondum totam et compositam sibi repraesentauit statuam, quod aut ope phantasiae, singula membra componentis, fieri debet, aut statuae vere compositae intuitione. Quin autem id, quod in simili verum esse vidimus, ad repraesentationem, eiusque notas recte possit transferri, nemo dubitat, qui homines, maxime incultiores, est contemplatus. Hi enim conceptibus variis, et faepius occurrentibus, vtuntur quidem, quoniam eorum ipsis est conscientia, notas vero eorum aut plane non, aut non satis accurate asserre possunt, quoniam notarum conscientia sunt desituti. Obscurus igitur conceptus non is est, cuius obscura nobis est conscientia, sed cuius notas ignoramus, in quo notarum non adest sufficiens conscientia. Sed huius discriminis demonstratione, quamquam nonnulla potuisse addere, moram longiorem lectoribus aestimatissimis imponere nolui.

*Alterum autem, quod praemonendum est, posui. Consciē nobis sumus non patiendo, sed agendo.* Conscientiam logicam (quam in hac dissertatione semper intelligi velim) extra mentem quasi vagantem, et sine mente existentem, cogitari non posse, facile omnes dabunt. Si enim conscientia status est mentis, status vero semper referendus est ad aliquid, cuius est status: necessario etiam mentem ponere debemus, si mentis statum ponantur, et mente omni sublata, omnis tollenda est conscientia; nam accidens esse sine re, cuius sit accidens, nullo

nullo modo ratione est consentaneum.<sup>m)</sup> Sed alia oritur quaestio: vtrum conscientiae nobis simus agendo an patiendo; vtrum conscientia sit status mentis agentis an mentis affectae et solummodo patientis. Defunctione hanc rem adspicient vtrumque verum esse videtur; accuratius autem considerantibus apparet, id solummodo agendo fieri. Quanquam enim non nego, omnibus affectionibus sublati, simul etiam tolli conscientiam, ideoque affectionem et passionem necessario requiri ad conscientiam:<sup>n)</sup> tamen, si quid vnamquam aliud, hoc constanter defendendum esse mihi videtur: *passionem et affectionem non sufficere ad conscientiam efficiendam, solam vero mentis actionem sufficere;*<sup>o)</sup> id quod ex datis (vt dicunt) experientiae haud ambiguus colligitur. Mentem componere, cogitationes in vnam rem quasi cogere, et attentionem a rebus aliis auocare possumus. Streptus quidem continui, aliorum sermones, clamores, eiusdemque generis alia, mentem turbant, nosque cogunt attentionem in ea conuertere, exercitatione tamen eo possumus peruenire, vt in mediis clamoribus aliquis turbis vnam rem consideremus, quid? quod inueniamus. Quid inde? Si affectio et passio esset conscientiae causa efficiens, nulla exercitatione, nulloque studio efficeremus, vt mentem ab his rebus auocandi, et in vnam dirigendi artem consequamur. Nulla enim vi atque contentione fieri potest, vt causa efficiens, non corrupta, effectum non producat. Cum vero satis in promptu sit, harum rerum praesentium, et nos affectuum conscientiam posse quasi amoueri; concedendum est: affectionem non esse causam efficientem, sed solummodo causam occasionelem.

<sup>m)</sup> de rebus repraesentatis loquor, non de rebus *per se*. Ratione non est consentaneum; non vero, esse, existere non potest; sed esse in hominum cognitione non potest.

<sup>n)</sup> propterea nimirum, quoniam, sublata omni affectione, non adeat, quod mentis actionem exusciter. Cf. REINHOLD. *Theorie des menschl. Vorstellungsvorw.* §. XXVIII. p. 297. et KANT. *Kr. d. r. V.* §. I. p. I.

<sup>o)</sup> hoc eodem modo intelligendum est, quo accipienda REINHOLDI assertio: ad vnamquam representationem materia obiectiva opus esse. Sola nimirum mentis actio sufficit, si aliquando est affectionibus excitata.

*nalem conscientiae.* Multarum vero affectionum, maxime continuorum nos nobis saepissime non esse conscius, negari non potest. Horologii enim, molarum, aliarumque rerum continuos strepitus a nobis non amplius audiri dicimus. Quid hoc sibi vult? Abesse affectio? minime; obstreput enim istae res semper auribus nostris, semperque earum, si modo animum aduerterimus, consciit fieri possumus. Eodem sensu etiam nos rem non amplius videre, sentire etc. profitemur. Solam vero mentis actionem et voluntatem sufficere ad producendam conscientiam, ex eo colligi posse videtur, quod de multis rebus absentibus, et aut temporis aut loci spatio interiecto a nobis separatis, sine impulsu externo, cogitare possumus. A me autem affectiones non plane inutiles, immo necessarias haberi ad conscientiam, non magis est repetendum, quam id, quatenus ad eam affectio sit necessaria. Ex his quae hactenus sunt disputata, satis manifestum esse mihi videtur, *solan* mentis actionem p) conscientiae esse effectricem, ita ut, ubi conscientia est, etiam mentis actio adesse, et conscientia sequi debeat, ubi mentis actio adsit. Consenit cum hac affirmatione REINHOLDVS V. Exc. qui conscientiam ponit: *in das Bezoogenwerden der blossen Vorstellung aufs Objet und Subiect*, quod quidem sine mentis actione, non video, quomodo possit cogitari.

*Qui autem rei alicuius naturam vult investigare, eius rei sibi debet esse quam maxime conscientia.* Ideoque etiam ei, qui representationis naturam vult considerare et explicare, magna eius conscientia est opus. Etiamsi enim necesse non est, ut notarum representationis, separatum spectatarum, et investigatione atque analysi deorum inveniendarum, adsit conscientia: representationis tamen conscientia abesse non potest. Quod, quamquam ita est in promptu, ut res probatione non egeat, tamen facillima ratione potest ex antecedentibus demonstrari. Si enim conscientia semper cum mentis actione coniuncta est, investigatio vero in mentis actione cernitur: sequitur, ut inquisitio sine conscientia

p) cf. etiam SCHMID. V. Exc. *Empir. Psychol.* pag. 202. Theil II. §. XXXIII.

tia esse non possit. Sed in his rebus, quas nemo negabit, non est haerendum.

Pluribus vero argumentis demonstrari posse videtur, *mentis actionem*, conscientiae effectricem, *cerni in coniungendo et componendo*. REINHOLDI <sup>q)</sup> atque SCHMIDII <sup>r)</sup> Virr. Excc. probationes, cum ingeniosissime excogitatas, tum etiam satis notas, iam praetermittendas duxi, periculum vero feci, vtrum hoc mea ratione possim probare. Nulla igitur est cogitatio sine nota ea, quam voce *aliquid* indicamus; ne *Nihil* quidem exceptum est. Nam qui hunc conceptum accuratius cognoscere cupit, quaeret: *quid est nihil?* eique vix aliter respondere possumus, quam: *est negatio τὸν aliquid.* Praeterea si quaerimus, qualis conceptus sit is, quem voce *nihil* significamus, illud *nihil*-profecto est *aliquid*, nempe est conceptus. Sin vero, istam quaestionem instinentes, non conceptum, sed rem isto conceptu representatam, intelligimus, profecto *nihil* cogitare est *non* cogitare; unde facile potest intelligi, sine conceptu τὸν aliquid ne cogitari quidem posse, eumque omnium reliquorum conceptuum notis interessere. Unde vero huius conceptus facti sumus participes? Aut *a priori* ortus est, aut *a posteriori*, per experientiam, id est affectionem. Experientiae vero non debemus, nullo enim potest percipi sensu, neque externo neque interno

## B 3

q) cf. *Theorie des menschl. Vorstellungsvorw.* §. XXIV–XXVI. et alibi.

r) vid. Ej. *empir. Psychol.* Vol. I. P. I. §. XXIV et XXV. p. 191 sqq. Liceat quaestionem addere: ytrum argumento ibi proposito, quod ab enuntiatione procedit: *Omnis representatio est una*, possit probari, *mentis actionem cerni in coniunctione, in genere summa*, cum in proposita enuntiatione sola videatur intelligi, *unitas quantitatua?*

terno, quorum vterque multas nobis suppeditat rerum notas; hanc tamen, quae solummodo potest cogitari, non offert; unde etiam in rebus sensibus subiectis ista nota ostendi non potest. *At abstractione orta est!* Quid hoc sibi vult? Si abstractio nihil est aliud, nisi unius absque altero consideratio, melioris cognitionis caussa: <sup>s)</sup> abstrahendo non possunt noua oriri rerum praedicata, quae iam adesse debent, ut abstrahere, id est separatim ea possimus considerare. Si vero quis statuat, abstractionis ope huius conceptus facti sumus *conscii*, non habeo cur repugnem. Sed si vel abstractione ortus sit, tamen menti debet originem. Probat hoc etiam *necessitas eius*, cum sine eo ne cogitare quidem possimus; et inde orta *absoluta vniuersalitas*, in quibus, quoniam a KANTIO, eiusque interpretibus, satis mihi videntur exposita, diutius non haerendum censui. <sup>t)</sup> *Hic conceptus autem non amplius potest resolui, eiusque notae, si quae ad sint, non separatim proponi.* In resolutione enim conceptuum videndum est, ne totus conceptus *resolutus* inueniatur in suis notis, *separatim spectatis*, nisi pro partibus conceptuum, eorum formas seu species velimus proferre. Cum vero sine conceptu voci *aliquid iuncto* cogitare non possimus: hic quidem

in

<sup>s)</sup> vid. RÜDIGER. *Sens. ver. et fals. L. I. c. 5. §. 14. not. l. p. m. 95.* WOLFF vernünft. Gedanken von den Kräften des menschl. Verstandes, §. 26 fqq. p. m. 35 fqq. LAYRITZ. Erste Anfangsgr. der Vernunftl. §. 107. p. 70.

<sup>t)</sup> liceat addere rationem, qua ad *Aenesidemi* obiectiones p. 140 fqq. expositas equidem responderim: 1) de humana veritate sermo est; 2) non loquuntur de necessitate in analyticis, sed in syntheticis iudiciis (ad not. a.); 3) non affirmatur: res per se vniuersalitatem et necessitatem non posse efficere, sed ab affectione, et mutatione a rebus in mente facta, ab experientia, eam deriuari non posse (ad litt. b et c).

in omnibus cogitatis occurrit; occurret igitur etiam in qualibet notarum suarum separatim spectatarum; quod cum ex resolutionis lege fieri non possit, sequitur, ut, nisi forte etiam conceptus resoluere *non cogitando* possumus, hic conceptus resolui non possit. In eo igitur *summa unitas*, varietati opposita, reperitur. Si vero a mente est profectus, et quasi procreatus, menti necessario tribuenda est facultas unitatem efficiendi. Neque potest obici, inde nondum apparere, hanc mentis agendi rationem esse universalem et in omnibus eius actionibus conspicuam, nam universitas huius conceptus, per omnia diffusa, etiam hoc refutat. Nam mens ibi coniunxit, ubi hic conceptus inuenitur, inuenitur vero in omnibus cognitionibus, ideoque in omnibus mens coniunxit.

*Pro varia igitur conscientia etiam mutatur repraesentatio.* Si enim actio mentis repraesentationes mutat; ista vero actio simul conscientiam efficit, pro vario conscientiae gradu, actionis vis atque intensio debet esse diuersa, ideoque modificatio (sit venia voci) repraesentationis ab ista actione prognatae. Sed concludamus iam omne hoc argumentum.

Is, qui repraesentationis in genere naturam, ex ipso repraesentationis conceptu, vult exponere, necessario in hanc repraesentationem magnam convertere attentionem, eiusque sibi valde conscientius esse debet; is, qui consideratione repraesentationis, cuius sibi valde est conscientius, eius notas recte inuenit: inuenit notas repraesentationis, cuius sibi valde conscientius est; is, qui repraesentationis sibi valde est conscientius: ipsa mentis actione, ad conscientiam logicam necessaria, repraesentationem mutauit, et id, quod a maiore conscientiae gradu pendet, unitatem nimirum *objectionam*, admisit. Nisi igitur errare velit, notas  
inuen-

inuentas, in repraefationes, quarum sibi aut minus, aut, quod libentius dixerim, plane non est conscientia, transferre, iisque obtrudere non debet. Atque ita satis demonstrationis allatum esse equidem putauerim, unde appareat, expositionem naturae repraefationis in genere, nisi a recepto vsu loquendi recedere satius ducamus, non ita posse institui, ut ex conceptu repraefationis, velut ex principio, ratiocinemur, et quod hac ratione extorserimus, etiam de formis seu (veniam det Cicero!) speciebus, ab vsu loquendi factis, praedicemus. Fieri igitur vix potest, ut assensum philosophorum mereamur, si istam conuenientiam, seu identitatem, inter genus repraefationis, eiusque formas, non probamus et eam adesse ostendimus, id quod fieri a nobis non potest, sed, quasi res esset notissima, istius conuenientiae veritate sumimus, omnemque huius rei probationem nobis non donatam, sed a nobis non postulandam arbitramur.

Sed iam ab hac contentione disputationis animos nostros curamque laxemus.

Quamquam autem huius dissertationis finis supra iam a me sit expusus: tamen hoc loco liceat repetere, nihil aliud ad proponenda haec dubia me adduxisse, quam spes, fore, ut meliora edocear; quod si consecutus fuero, satis amplum operae pretium me accepisse censebo, si vel omnis dissertatio, et omnia in ea proposita, ex argumentis idoneis reiiciantur. Qui igitur dubitationes et emendationes suas mecum ve-llint benevolē communicare, vel propterea mihi facient gratissimum, quoniam defendant dogmata dilectissimi praeceptoris. Ceterum etiam hac de re commode dici posse videtur, quod ARISTOTELES habet: *Categ.* pag. 40. SYLB. Ἰσως δὲ χαλεπὸν καὶ περὶ τῶν τοιούτων σφρόδεως αποφανεθεῖαι, μὴ πολλάκις ἐπεσκευμένου τὸ μέντοι διηπο-ρηκέναι περὶ ἑκάστου αὐτῶν δικ οὐχ ἀχρηστόν ἔστι.

ULB Halle  
092 160 043

Dießes Jahr ist der Frieden und Friede der Welt  
verhüllt worden, daß wir nur schwer darin die Freude finden können.  
Wir ist die ganze Welt hier verloren, und wenn wir  
unsere Freude nicht wiederfinden werden, so wird die Welt  
nicht mehr zu leben sein. Es ist eine sehr traurige  
Sache, daß wir soviel reicher sind als andere, und wir  
haben eine sehr traurige Erfahrung nach dem Kriege, daß wir  
dort nicht nachkommen werden können. Es heißt daher, daß wir  
dort nicht nachkommen werden können, daß wir nicht nachkommen  
können, daß wir nicht nachkommen werden können.

Cf 4264.8

ULB Halle  
002 160 943

3



56

M.C.



B.I.G.



NATVRA REPRAESENTATIONIS IN GENERE,  
INTVITIONEM, SENSATIONEM, CONCEPTVM, NO-  
TIONEM ET IDEAM COMPREHENDENTIS, NE  
EXPONI QVIDEM RECTE POTEST.

DISPVATATIO PHILOSOPHICA

QVAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
PERMISSV

M. AVGVSTVS FRID. GVILIELMVS  
RVDOLPH

DIE XI. IVNII A. R. S. CICCCCLXXXIV.

HORIS POMERIDIANIS

DEFENDET

P R A E S E S

ASSVMTO SOCIO AMICISSIMO

CHRISTIANO TRAVGOTT SIMMERS

ANNABVRGO - SAXONE.

VITEBERGAE,

LITERIS TZSCHIEDRICHIL